

cabo tibi et confitebor nomen tuum.“¹¹⁹ [105:] Quis hic non intelligat esse opera necessario mandata, quae non fiunt iam ex legis coactione, sed voluntarie per fidem? Proinde his ostensis doctrinam libri Interim de operibus supererogationis, ut alienam a scriptura superstitionem unam esse iudicamus.

VI. De fiducia remissionis peccatorum.¹²⁰

5

Hanc oportet esse certissimam sine dubitatione. Non enim pendet ex infirmitate aut indispositione nostra, sed ex misericordia Dei, cuius promissionibus adhaerere debet ac firmissime credere sibi contingere remissionem peccatorum propter meritum solius Christi. Si autem retrahitur interdum fides per infirmitatem nostram, grandus est Deus, ut adaugeat nobis eam, ut nunquam de gratuita remissione peccatorum dubitemus. Contra securitatem vero non solum dubitare, sed etiam desperare debemus de nostra infirmitate, indispositione, viribus, libero arbitrio, meritis, operibus etc., ne unquam nobis per ea contingere remissionem peccatorum statuamus. Si sic sentit liber Interim, recte sentit. Si vero docet cum scholasticis theologis dubitare de misericordia Dei, quasi praesumptio quaedam esset, si quis statueret se habere remissionem peccatorum propter mediatorem Christum, valde fallitur et hallucinatur. Christus enim, ut [106:] nihil aequae atque fidem suorum discipulorum et aliorum commendavit, ita nihil aequae, ut eorum incredulitatem ac dubitationem, eis exprobrauit.¹²¹

10

15

20

VII. De ecclesia fol. 7, 8, 9 et de notis et signis ecclesiae fol. 10.¹²²

Potest hic articulus in nonnullis tolerari, nimirum in quibus articulo nostri symboli: „Credo unam sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem“¹²³ respondet de unitate, sanctitate, uniuersalitate, communionem et ministerio ecclesiae. 1) De unitate propter unam et consentientem doctrinam, Joh. X: „Oues meae vocem meam audiunt“,¹²⁴ inquit Christus, „alienos non audiunt.“¹²⁵ 2) De sanctitate, scilicet imputatiua in hac vita, formali vero, in vita aeterna, quia sanctificata est sanguine Iesu Christi. 3) De uniuersalitate, quia pusillus et contemptus grex est, per uniuersum orbem dispersus, non alligatus uni certo loco ut Romanae sedi nec sub una potestate mundi tantum, sed in multis regnis et imperiis, tamen sub uno capite suo Christo.¹²⁶ 4) De communionem, quia communia habet ea, quae diuus Paulus enumerat Eph. IV,

25

30

¹¹⁹ Ps 54,8.

¹²⁰ Vgl. Augsburger Interim VIII, 57. 59.

¹²¹ Zur Frage der Heilsgewissheit vgl. Anm. 62.

¹²² Vgl. Augsburger Interim IX–X, 59–67; Augsburger Interim (Ulhart), C 2v–D 1r.

¹²³ Symbolum Apostolicum, in: BSLK 21,19–21.

¹²⁴ Joh 10,27.

¹²⁵ Joh 10,5.

¹²⁶ Vgl. Eph. 5,23.